FF. Minor. Reformator. in Conventu Crac. Conclusiones theologicae ex tertio sententiarum. 1686.

1686.


V
B J
C

CONCLVSIONES THEOLOGICÆ.

Ex

TERTIO SENTENTIARVM

Menti Subtilissimi Doctoris

IOANNIS DVNS SCOTI

Accommodatæ.

A

FF. Minoribus Reformatis, in Conuentu Cracouiensi ad S. CASIMIRVM.

Ad defendendum publicè expositæ.

ANNO DOMINI, 1686. Die 4 Mensis Iulij, Iulij Horis consuetis.

CRACOVIÆ, Typis Francisci Cezary, S. R. M. Illustr. ac Rndiss. Dni Episc. Crac. Ducis Seueriæ, Necnon Scholarum Nouoduorsc. Typogr.

DE INCARNATIONE.

I.



Essiam in lege veteri promissum aduenisse iam defacto, satis clarè ex vaticinio Iacobi morientis probatur. Et quia futurus erat DEVS & Homo, nec Pater, aut Spiritus Sanctus, sed Verbum in vnitate Personæ Carofactum. Et licet erat possibile possibilitate Logicâ, & reáli vniri naturam humanam Verbo, hæc tamen possibilitas & existentia eius non potest cognosci certò absquè Reuelatione.

II.

INcarnatio ex parte DEI, & ex parte naturæ humanæ, & ex parte Vniuersi fuit conueniens. Non fuit tamen simpliciter necessaria, etiam ex suppositione lapsûs Adæ; & Posterorum eius. Imò nec ex suppositione volitæ satisfactionis de condigno. Et licet defacto Christus satisfecerit pro hominum peccatis, de rigore Iustitiæ; Nihilominùs purus Homo id totum præstare potuit.

III.

RAtio formalis & immediata, per quam Verbum terminat Humanitatem, non est Subsistentia Absoluta & Communis, sed Relatiua & Personalis. Inter hæc Extrema reperitur Vnio Hypostatica maxima in genere doni & gratiæ, estq; Respectus extrinsecùs aduenìens, Subiectatus in Natura Humana (in qua non præexigebat physicam dispositionem distinctam à dispositionibus corporis organici) & terminatus ad Personalitatem Verbi.

IV.

ANimatio Corporis Christi, & Organizatio Completa, non præcessit tempore Vnionem Hypostaticam, benè tamen naturâ. Et si detur Tertia Entitas Scotistica, distincta realiter à partibus physicis, illam Verbum immediatè assumpsit, & eâ mediante partes; si non detur, partes æquè primò & immediatè assumpsit. Similiter partes integrales animatas immediatè, inanimatas mediatè nonnisi assumpsit.

V.

CHristus venisset etiam Adamo non peccante, & quidem vi Decreti defacto à DEO habiti. Fuit autem Christus Verus Filius B. M. Virginis: & Verus Filius Patris Æterni, habuitq; duas Filiationes Reales, Æternam vnam, quâ constituitur in Esse Filij Patris, Temporalem alteram, quâ constituitur Filius Matris. Prima est formaliter distincta ab Essentia DEI. Secunda realiter à suo fundamento scilicet Natura Humana. Quæ non obstante Vnione ad Verbum habuit propriam Existentiam ab Existentia Verbi.

VI.

VNionem Hypostaticam seu Incarnationem quo ad Substantiam B. M. Virgo non meruit; benè tamen suam Maternitatem. Neq; Ipse Christus defacto sibi meruit Incarnationem; nec illam mereri potuit per Opera dependentia essentialiter ab illa etiam de Potentia DEI Absoluta. Per opera tamen Consequentia Illam & non dependentia ab Illa essentialiter, potuit mereri.

VII.

VII.

LIcet defacto Christus quâ Homo sit Filius Dei Naturalis, nec potest simpliciter dici Adoptiuus; si tamen Humanitas vllius suppositi possit immediatè adoptari nihil est in Humanitate Christi, ratione cuius non possit adoptari. Vnde si Christum, inquantum Homo est esse Filium Adoptiuum, nihil sit aliud quàm dicere Naturam, Cui conuenit Adoptatio, posset admitti quod Christus quâ Homo reduplicatiuè sit Filius Dei Adoptiuus.

VIII.

VIsio Beata Christi fuit Perfectissima omnium negatiuè, per quam tamen non cognoscebat omnia (si aliqua cognoscit) in Verbo, quæ Devs cognoscit Scientiâ simplicis Intelligentiæ; aut visionis actualiter; cognoscebat tamen omnia intelligibilia habitualiter. Habuit etiam Scientiam Supernaturalem de multis rebus, non tamen de omnibus, quas cognouit in proprio genere.

IX.

MErita Christi seu Actiones Theandricæ, ex se intrinsecè, independenter ab Acceptatione Dei, tam in actu primo, quàm in actu secundo, tam intensiuè, quàm extensiuè, non sunt infiniti valoris. Per illa tamen Christus meruit omnem gratiam supernaturalem actualem, & habitualem, quò ad sufficientiam omnibus hominibus etiam infinitis si tot essent; quò ad efficaciam vero solis prædestinatis (puta finaliter) ad gloriam.

X.

DAtur in Christo Voluntas Creata, quæ nunquam peccauit, eratq; impeccabilis ex Visione Beata proximè, radicaliter autem & remotè ratione vnionis Hypostaticæ; non tamen per Dei Potentiam Absolutam. Libertas Eius circa obseruantiam Præceptorum potest saluari, quatenus pro illo instanti quo obligauit Præceptum, non habuit determinationem aliquam ad obseruantiam, quoad esse phyficum, licet quoad esse morale habuit.

XI.

ET cùm certum sit quòd Christus Dominus meruerit toto, Vitæ suæ, tempore, tam per actus Virtutum Moralium, quâm Supernaturalium; concedi debet quòd etiam meruerit, in primo instanti Conceptionis suæ, idq; per actum Amoris Beatifici, quem tamen sibi sicut & visionem Beatificam non meruit vllo actu positiuo Meruit tamen Sibi Impassibilitatem Corporis, quam non habuit in instanti suæ Conceptionis.

XII.

VOluntas Animæ Christi secundùm Portionem Superiorem strictè sumptam, non fuit tristata de Morte & Passione sua, & secundùm eandem largè sumptam non tristabatur de carentia Suæ Fruitionis, nec de carentia Fruitionis Prædestinatorum, neq; de peccato proprio: sed tristabatur de peccatis aliorum peccatorum. Voluntas verò Christi vt natura secundùm Portionem Superiorem largè sumptam tristabatur de Morte & Passione Sua.

XIII.

SEcundùm Portionem Inferiorem Voluntas Christi Domini vt naturaliter coniuncta appetitui sensitiuo tristabatur de Passione sua; vt verò est libera non habuit nolle absolutum de sua Passione, sed tantùm conditionatum; sicut etiam secundùm Portionem Inferiorem largè sumptam vt est Libera non fuit tristata de Passione Sua, tristitiâ consequente nolitionem absolutam, sed tantùm tristitiâ consequente nolitionem conditionatam.

XIV.

HAbitus Gratiæ siue sit distinctus ab habitu Charitatis siue non, in Anima vel voluntate Christi admitti debet Summus negatiuè, non positiuè; non tantùm secundùm Entitatem Physicam, sed etiam sub conceptu formali Gratiæ Sanctificantis dignificantis in ordine ad consecutionem vitæ æternæ. Christus tamen ab illa præcisè Gratia, aut ab vnione præcisè, aut ab vtraq; simul non constituitur Caput Ecclesiæ, sed constituitur per Merita Sua acceptata à DEO cum alijs gratijs.

XV.

ORationem in Christo quâ Viator fuerat, in omni rigore Sacra testatur Scriptura fuisse; modo autem in Cælo oratione strictâ non orat pro nobis. Non fuit tamen in illo Fides Habitualis, nec vllus actus Spei, quo speraret Gloriam Animæ aut Corporis, aut aliquid aliud, pro vllo instanti pro quo cognouit illud infallibiliter futurum esse. Si verò alij actus in nobis prouenirent ab Habitu Spei, præter actus quibus speramus bona; vt sunt actus desiderij, boni commodi, & actus delectationis de eo consecuto qui vocatur Tentio; Christus habuit talem Spei Theologicæ Habitum.

XVI.

MAgna est probabilitas, quòd Christus absolutè dici possit Creatura propter communicationem idiomatum (præsertim hoc tempore) absq; vllo addito; sicut de Ipso dicitùr simpliciter quod sit Genitus, Mortuus, Finitus, &c. Aliqua verò duo non possunt de illo simpliciter prædicari. Item potest dici Christus prædestinatus est, esse Filius DEI. Prædestinatum est Verbum, esse Hominem; & Hominem esse DEVM. Et Homo factus est DEVS, DEVS factus est Homo.

XVII.

OMnia insuper Prædicata & Attributa DEI, quæ dicuntur de Verbo, possunt dici de Christo Dómino, & aliquo homine. Et omnia Prædicata conuenientia Humanitati, possunt dici de Christo, & Verbo Æterno, aut DEO, in concreto. Nulla autem Prædicata DEI, possunt prædicari de Christo & aliquo homine reduplicatiuè, quâ homo, Sicut nec Prædicata Humana possunt dici reduplicatiuè de Verbo, aut DEO, quâ Verbum, aut DEVS est.

DE

DE GRATIA.

XVIII.

GRatia Sanctificans est forma intrinseca inhærens animæ. quòd autem sit quid permanens, ab actibus distinctum, non continetur in Scriptura, nec deducitur euidenter ex illa, secundùm se considerata; ante determinationem Ecclesiæ; Vnde ante Concilium Tridentinum, non erat erroneum id negare; licet fuerit id minus probabile. Post Concilium tamen Tridentinum asserere quòd Gratia Sanctificans sit actus, & non quid permanens, esset temerarium.

XIX.

REalis distinctio stricta, inter Gratiam Sanctificantem, & habitum Charitatis non datur; imò nec Formalis Scotistica, accipiendo Gratiam Sanctificantem vt est Entitas physica; hæc tamen Entitas vt habet denominationem Gratiæ Sanctificantis, distinguitur realiter à Charitate, vt habet denominationem Principij diligendi DEVM, dilectione supernaturali; hæc eadem physica Entitas quæ est Gratia, non habet ex natura sua physica, tribuere effectus formales, scilicet Amici, Filij Adoptiui, Sancti, Consortis Diuinæ Naturæ &c.

XX.

ACcidens illud quod est Gratia, talem habet incompatibilitatem cum quocunque peccato mortali, vt pro nullo instanti temporis possint esse simul; hæc tamen incompatibilitas non oritur ex natura physica eorum, sed ex DEI ordinatione particulari; vnde seclusâ DEI ordinatione possunt esse simul in eodem subiecto naturaliter; stante verò ordinatione DEI nonnisi supernaturaliter. Et licet defacto Gratia sit Forma Sanctificans, Adoptans in Filium; Constituens Amicum, Hæredem, &c. tamen hoc totum DEVS præstare potest absq; communicatione eiusdem.

XXI.

TAm est certum Solum DEVM esse Causam Effectiuam Gratiæ, quàm quòd sit supernaturalis in Substantia. Causa verò Materialis in qua est Voluntas. Instrumentalis Sacramenta. Meritoria Extrinseca, Merita Christi. Causa Finalis Intrinseca, Effectus supra dicti. Extrinseca, Gloria DEI, ád quam consequendam, tanquam medium necessarium ordinatur; ad recipiendam illam, in subiecto nulla requiritur dispositio physica, in quo potest augeri per bona opera, non physicè sed meritoriè. Dispositiones autem morales ad iustificationem satis clarè Concilium Tridentinum Sess. 6. Cap. 6. describit.

XXII.

IN singulis Iustis ac Prædestinatis, datur aliquis terminus vltra quem non possunt defacto crescere; nec aliquis Iustus potest vnquam peruenire ad talem perfectionem Iustitiæ, vt extinguat (excipe B. M. Virginem) totaliter fomitem; potest tamen peruenire ad talem Sanctitatem, vt extinguat omnem pænam peccatis actualibus præteritis debitam. Et sicut non potest haberi certitudo Theologica seu fidei de Iustitia, licet possit moralis; ita non potest perueniri ad tantam Sanctitatem, vt vitet quis venialia omnia absq; Priuilegio extraordinario.

XXIII.

XXIII.

AD perseuerandum in Gratia requiruntur duo officia Iustitiæ, ad quæ facienda est necessaria Gratia DEI actualis. Donum Perseuerantiæ finalis non addit aliquid supra Gratiam Habitualem nisi auxilia actualia ad benè operandum data, & abstinendum à peccato, pro illo tempore, aut instanti, quo occurrit obseruandum præceptum, aut periculum committendi peccati. Et eodem modo donum perseuerantiæ in gratia pro vna hora, mense, anno, includit omnia dona actualia collata pro illo tempore respectiuè, quibus vitabatur peccatum.

DE MERITO.

XXIV.

MEritum strictè sumptum vt sic, est actus laudabilis exigens collationem præmij; debet esse necessariò liber, & moraliter bonus, etiam de Potentia DEI absoluta. Tale autem meritum vt sic, non exigit, vt exeat à Persona iustificata aut Viatore; requirit aliquam acceptationem illius, à quo quis meretur, quæ debet esse antecedens productionem actûs. Meritum de condigno respectu vitæ æternæ, & cuiuscunq; Doni à DEO habendi, est meritum inducens obligationem Iustitiæ, quantum est ex natura sua, ex suppositione pacti, de eo faciendo, ex eo quòd acceptetur á DEO tanquam si fuisset obligatorium.

XXV.

EX natura rei intrinseca, opera Iustorum absq; promissione, & DEI acceptatione, non sunt meritoria de condigno vitæ æternæ, neq; quantùm ad dignitatem & valorem æquiualentem; neq; quantùm ad vim obligandi DEVM. Vnde necessariò requiritur promissio DEI ad meritum de condigno: quæ auget dignitatem, valorem, ac bonitatem eius moralem, non omnis tamen. Hinc æquiualentia actûs meritorij cum præmio, ex natura rei independenter à pacto non requiritur, neq; sufficit etiam cum aliquo pacto.

XXVI.

REquiritur defacto Status Gratiæ Sanctificantis, ad meritum de condigno respectu vitæ æternæ; hîc tamen Status Gratiæ tàm in peccatore; quàm in homine, aut in Angelo constitutis in puris naturalibus, non requiritur de Potentia DEI absoluta. Similiter Status Viatoris necessarius est, vt quis possit mereri de condigno, aut de congruo sibi vitam æternam; vt verò possit quis mereri alijs, aut sibi augmentum Beatitudinis de Potentia DEI extraordinaria non requiritur. Iusti defacto merentur de condigno vitam æternam. tàm per opera præcepti, quàm consilij, etiam quò ad primum gradum Gloriæ.

XXVII.

IVstus vt mereatur vitam æternam per actus virtutum, debet referre opera sua per Charitatem in DEVM, quæ relatio sufficit virtualis; debentq; procedere ex Gratia actuali DEI, quæ tamen non tribuit illis valorem ex hoc capite moralem. Licet probabiliùs sit quòd Iustus quibuscunq; actibus etiam remissioribus possit mereri augmentum Gratiæ & Gloriæ; nulla tamen potest mereri dona Gratiæ actualis, distinctæ à Gratia Sanctificante de condigno; sicut nec peccator primam iustificationem, benè tamen de congruo.

A. M. D. G.

Ex Libris Samuelis Joan. Podgrusk